

Dissertatio medica inauguralis de inflammatione in genere : indultu gratiosae facultatis medicae praeside Burcardo Davide Mauchart ... pro licentia summos in arte medica honores rite capessendi / respondente ac authore, Gallo Henr. Becher ... d. 16. April. An. MDCCXL. ventilata.

Contributors

Becher, Gallus Henricus.
Mauchart, Burchard David, 1696-1751.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Roebelianis, [1740]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mykhq239>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

INFLAMMATIONE
IN GENERE

INDULTU GRATIOSÆ
FACULTATIS MEDICÆ

PRÆSIDE

BURCARDO DAVIDE
MAUCHART,

ED. ET CHIR. D. MED. ANAT. CHIR. BOT.
P. P. O. CONSIL ET ARCHIAT.
WIRTEMBERG.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES RITE CAPESSENDI.

RESPONDENTE AC AUTHORE.

ALLO HENR. BECHER, Waiblinga-Wirt.

d. 16. April. An. MDCCXL. ventilata.


TUBINGÆ,

Typis ROEBELIANIS.



PRÆFATIO.

Miraberis quidem, *Lector benevole*, quod tale dissertationis inauguralis thema elegerim, quod non modo ab antiquioribus satis fuerit superque excussum, sed a recentioribus etiam toties recoctum, solidisque principiis tum physico - mathematicis, tum medicis confirmatum. Verùm quid hodie quæso dici potest, quod non sit dictum jam olim? Reproducuntur ut plurimum in scenam res eædem, nova saltem veste indutæ, ac externa novitate quadam se commendant nihiloscilicet. Sistam igitur & ego tenuibus hisce pagellis aliquod specimen, quod, si non novitate, vel ingenii acumine, brevitate tamen & claritate, imo & amplissima, eaque gravissima disputandi materia se commendet, numerosum scilicet morborum genus: *Inflammationem*, non ea quidem intentione, ut variantes sententias vel recenseam, vel refellam, vastissimumque inflammationum campum emetiar totum, sed illis modo inhæream, quæ ve-



rora quæque potiora mihi videbuntur. Si tamen a recto tramite aberravero, rectiora edoceri paratus, veniam, quam exoro, me impetraturum esse confido faciliorem.

§. 1.

Solidis atque fluidis partibus constare corpus nostrum vel solo externorum sensuum testimonio patet clarissime.

§. 2.

Solidas partes, ea voco corpora, quorum massulæ quantælibet sunt connexæ :

§. 3.

Fluidas vero ea corpora, quorum massulæ quantælibet sunt inconnexæ, mutua cohæsione a causâ quacunque impedita.

§. 4.

Solidas definiunt aliâs quoque quæ propriis limitibus continentur, atque *fluidas* continent : *fluidas* vero è contrario, quæ alienis limitibus coerceri debent. Illas ergo vocant partes *continentes*, has *contentas*. Quæ veteribus dicuntur *impetum facientes* reducuntur ad *fluidas*, utpote majorem fluiditatis gradum, spirabilitatem & volatilitatem referentes.

§. 5.

Transitum tamen atque mutationem *fluidarum in Solidas* plurima testantur phænomena : Primigenium embryonis, & continuatum per annos incrementi corporis augmentum, nutrimentum : Cutis, carnis, cartilaginis, imò & ossis, singulorum varia de causâ ablatorum, deperditorum, regeneratio, restitutio : Lymphæ serique concretio gelatinosa, solidescens, tartarea, calcaria &c. Purpuræ sanguinis fibrosa, tenax concretio.

§. 6.

Vicissim vero *Solidarum* resolutionis, emollitionis fusionis atque *mutationis in fluidas* specimen haud unum præbet corpus nostrum,

strum, tam in pathologia, quam therapia. Ossium e. g. in spina ventosa, pædarthrocace, putrida, faniosa resolutio ac consumptio: substantiæ fibroso-carneæ, membranaceæ, vasculosæ in ulceribus, maxime malignis exedentibus, venereis, cancrosis, diffusio ichorosa. Tumorum variorum, induratorum, excrescentiarum &c. dissipatio, earundemque particularum cohærentium, concretarumque resolutio, quæ aliter fieri nequit, nisi ut fluiditatem adeptæ vel transpirare, vel in revehentes absorberi canales debeant.

§. 7.

Confirmant utramque hanc metamorphosin innumera triplicis, sic dicti, regni, animalis, vegetabilis atque mineralis exempla, tum & plurimæ operationes chymicæ.

§. 8.


Sed perpetuo tamen, plus minus evidenti arctove *connubio junguntur* utræque, *solida* scil. & *fluida partes*. Nulla certe corporis nostri vel solidissima est pars, quæ non pateat fluido permeanti, illudque in se receptum, per analysin chemicam reddat. Nulla fluida, quæ solidis, in ea diffusis atque suspensis, non referta sit particulis, exemplo sanguinis, lymphæ, salivæ, bilis, urinæ &c. Extra corpus nostrum patet, quanta tartari copia insit vino: quàm aqua, etiam purissima visa talisque per frequentes reddita destillationes, terram nihilominus servet individuum comitem.

§. 9.

Permeabilitatem hanc, de qua jam olim Hippocrates differuit, corpori præstant pori, interstitia, sinus, canaliculi atque canales varii, tanquam instrumenta & media transitus, passive ut plurimum se habentia. Accedit vis & potentia movens varia, mechanica, hydrostatica, hydraulica, aereo-elasticæ.

§. 10.

Infinitorum ejusmodi *motus instrumentorum*, simplicium atque compositorum *primarium* laudo *Cor*, antliam illam tam ob immensas, quas exercet, vires, quam ob motus perennitatem, plane stupendam.



§. II.

Expellit validissimus hicce musculus, non a Lovvero aliisque recentioribus demum, sed ab Hippocrate jam pro tali habitus, è mira fibrarum carnearum implicatione, sinistri maxime ventriculi spiffiore ac validiore fibrarum agmine compositus, è thalamo suo sinistro omnem illam sanguinis massam fursum deorsumque ad omnes ac singulas corporis nostri partes vel remotissimas quam efficacissime.

§. 12.

Calculum hujus potentia cordis, sive Borellianum, sive Keilianum, sive Michelottianum, seu alium adsumamus, à nemine fortassis unquam indubitato determinabilem, hoc tamen assertum firmo stat talo: Cor sicut in principio vitæ primum, in fine ultimum est movens, ita primarium esse instrumentum motus tam sanguinis quam omnium corporis nostri liquorum.

§. 13.

Vires verò cordis insignes esse oportere, & quantitas sanguinis, quæ in homine adulto vegetoque ad viginti aliquot libras computatur, & partium tam solidarum quam fluidarum graves innumeræque resistentiæ, quas cor superat, aperte loquuntur. Confirmat aliquo modo insignis nisus atque vis, quos adhibere cogimur in replendis, mediante syringa anatomica, vel solis vasis arteriosis infra cor sitis, facto impulsu in aortam, quam vocant, descendentem, per materiam liquefactam, in via tam cito non concrefcentem.

§. 14.

Arteria, quæ sanguinem, e sinistro cordis ventriculo expulsum ad partes deferunt sunt canales albicantes, validis tunicis, tendinea maxime & muscolosa instructi, elastici, pulsantes, ramosi, valvulis destituti (si principium aortæ & arteriæ pulmonalis exci-

excipias) conoidei, à suo principio ex ampliore diametro in magis magisque angustiore definentes, donec ultimis capillaribus extremitatibus, diversorum ramorum inter se perpetuo communicantibus, intra partium quibus inferuntur, substantiam terminentur in varios plexus, retia, glomeres, spirulas atque penicillos, vel in venarum aliorumque revehentium & absorbentium canalium principia.

§ 15.

Resistunt ipsæ arteriæ impulso cruori ob parietum suorum robur & renisum, figuram conicam, varias curvaturas & angulos, extremitatum angustias. Hinc quanto fit arteria successive angustior, tanto celerius moveri oportet sanguinem (per princip. Hydraul.) In ultimis tamen extremitatibus tanta non amplius vigere hæc celeritas videtur, quod sanguinis plurimum per ramos laterales in toto arteriæ tractu & in fines sv. ramulos innumeros capillares dividitur & absimitur.

§. 16.

Sed *arteriæ* tamen vi sua contractili simul *inserviunt sanguinis propulsioni*, sive motui progressivo. Unde *motum* experiuntur, sicuti cor, *Diastalticum*, sanguinis receptivum, atque *Systalticum*, ejusdem propulsivum: Illum repletivum, qui tangitur in pulsu, dum cor in systole constitutum est, hunc contractorium depletorium, dum cor est in diastole.

§. 17.

Arteriæ venis sunt & pauciores & angustiores, sed tanto celerius in illis movetur sanguis, ita ut totus sanguinis circulus in homine adulto ac sano decies quater vel quinquies circiter absolvatur intra horam.

§. 18.

Gravitatio ac impetus propulsi sanguinis ac arteriarum in genere major erit in trunco, ramis, trunco vel cordi propioribus, arteriis

arteriis rectilineis , longis & per declive incedentibus (per princip. Hydrostat. & Hydraulic.)

§. 19.

Ergo validus sufficiensque fit *impulsus arteriosi sanguinis in partes ultimato* ; nec debilis nimium , qualis omnino & motui sanguinis per partem progressivo & nutritioni & variæ secretioni officeret, nec impetuosus nimium atque violentus , qualis congestio- nibus , stasibus , dolori variisque ansam præberet incommodis.

§. 20.

Atque sic patet quoque *massam humorum* , arteriosis hisce ca- nalibus contentam , jugi agitatione , attritu , frictione , rotatione , *fluxilem* subactam , magis magisque *homogeneam* , *calidam* , *spiri- tuosamque effici*.

§. 21.

Id quod tanto magis requirebatur , quo *variis heterogeneis* , ramosis , angulosis , crassioribus *particulis* , cum chylo affluis , e cor- de sinistro prodiens adhuc *scatere sanguis* , *suaque ipsius natura in varia* staseos ac corruptionis *vitia* pronus supponitur.

§. 22.

Constat enim tam synthetice , per elementa cibi potusque , nec non lymphæ ac venosi sanguinis ad cor reducis , quam analy- tice per chemiam , quod *sanguis* , & ipse arteriosus , serosis , lym- phaticis , *gelatinosis* abundet *particulis* : nec paucis instruat *sulphu- reo - oleosis* , inflammabilibus : Nec *salinis* alcalinis , volatilibus maxi- me ac *urinosis* , careat , paucis admixtis *terreis* ac *alcalinis fixis*. Litem illam *de acido sanguinis* jam non tango.

§. 23.

Arteriosus autem præ venoso sanguine hoc sibi vindicat peculiare , ut exaltato magis , *coccineo* , colore rutillet , magis caleseat , extra
&

& intra corpus brevi in fibrosas massas solidas congrumescat. Unde paucus ille qui in demortuorum, sicca morte peremptorum, arteriis reperitur sanguis ordinario in grumos & fibras coalitus, venosus autem observatur fluidus; Ipsi etiam polypi, in arteriis reperiendi, solidiores atque tenaciores observantur ordinario, quam qui delitescunt in venis.

§. 24.

Unde *fluidior*, ob serum quod vasa lymphatica infundunt ei, dilutior, temperatior respectu caloris, agnoscitur quidem *venosus sanguis*; *Arteriosum* tamen *mobilitate* non *superat*, etiam respectu substantiæ, quæ ob globularem figuram & validissimum propulsio- nis impetum perniciosissime agitur tam vorticoso intestino, quam progressivo motu. Imo vero ipsæ venæ, juxta alia motus adminicula, locias tantum non ubique arterias habent, ut ab arteriis pulsantibus motumque communicantibus sanguis venosus propellatur.

§. 25.

Jam si *vitium* sit vel *in arteria*, vel *in sanguine*, vel *in motu*, vel *in parte*, cui arteria inseritur, diversos affectus præternaturales oriri necesse est. E quorum copiosa sobole *Inflammationem* pro themate præsentis dissertationis selegi.

§. 26.

*Inflammati*o est morbus intemperiei calidæ, cum partis affectæ amore, rubore, calore, dolore, ortus à sanguinis, arteriosi potissimum congestione, infarctu, stasi, exrravasatione, fervore, in omni- us corporis partibus, quæ vasis sanguineis donantur, oriri aptus.

§. 27.

Subjctum igitur, cui *inheret inflammatio*, constituere possunt solentque omnes membranæ ac tunicæ, glandulæ, musculus, sceris parenchyma, vasa & canales omnis generis, ipsissima etiam

vasa sanguinea, nervus, tendo, ligamentum. De cartilagine vero ac osse minus prædicari solet potestque inflammatio; uti & de partibus fluidis efficienter potius, quam formaliter, & improprie prædicatur. Unde sanguis dicendus potius est calidus, fervidus, inflammatorius, quam inflammatus. Nullibi tamen notio inflammationis medica in sensu physico stricto est accipienda.

§. 28.

Ramuli vero arteriarum minimi, qui in statu naturali portione sanguinis purpurea & colore rubro pariter destituuntur, ac liquor aliquis, abunde coloratus, in capillaribus tubis vitreis colorem amittit, *in statu hoc præternaturali inflammatorio dilatantur*, ampliantur & densiorem, solidiorem *purpuream sanguinis portionem* extraordinarie *recipiunt*, exemplo tunicæ oculi testisque albuginæ, inflammatarum.

§. 29.

Inflammatio alia est diffusa, superficialis, alia concentrata, profundior: Illa *erysipelacea, rheumatica*, hæc *phlegmonodes, apostematodes*. Alia *benigna* ratione tolerantia ac eventus: alia *maligna*, molestior, periculosior, *gangrenosa, cancrosa, carbunculosa, petechialis*. Alia *simplex*, mere sanguinea, alia *composita*, accedente multa serosa chorosa colluvie. Alia *externa*, alia *interna*, in partibus vel ex-vel internis. Alia *sine*, alia *cum febre*. Alia *stabilis*, fixa, alia *vaga*, periodica & recidivans.

§. 30.

Signa diagnostica generalia illis ipsis phænomenis constitutivis (§. 26.) comprehenduntur. Ita vero se excipiunt ordinario, ut, facta stasi, (§. 33.) tumorem rubor & ardor subsequantur, dolorque vel pungitivus, vel lancinans, vel pulsatorius, brevi subjungatur. *Signa specialia* diversarum inflammationis specierum, & in diversis partibus occurrentis, è §. 29. partim petenda, partim è ratione situs, connexionis & actionis cujuslibet partis internæ affectæ colligenda sicco heic pede transeo, ad prolixitatem evitandam.

§. 31.


Causæ remotæ proegumenæ ac procatarcticæ, è censu rerum natural. non natural. & præternaturalium potiores hæ sunt: *Ætas* infantilis, respectu dentitionis, juvenilis, in ordine ad vigorem fervidum: *Temperam.* sanguineum, cholericum - sanguineum: *Dispositio hæreditaria*, in erysipelatosi, arthriticis, nephriticis manifesta: *Aër* fervidus, nec non intense frigidus, ille sanguinem vehementer commovens, incendens, hic incrassans, figens, fibras solidorum stringens, destruens. *Cibus & potus calefaciens*, aromaticus, spirituosus, quantitate & qualitate peccans. *Frigidus potus*, æstuante corpore ingurgitatur, subitas inferens stases. Quorsum & spectant *glaciales* illæ, frigidissimæ, magnatum *cupedia*. *Affectus animi*, ira, excandescencia, terror. *Motus corporis* nimius, exagitans, vi impellens sanguinem, idemque deficiens. Vita deses, incrassationi & stasi sanguinis favens. *Transpiratio*, sudor, *hæmorrhagia narium, fluxus mensium, lochi-orum, hæmorrhoidum, fonticulorum, ulcerum antiquorum, suppressi.* *Evacuationes nimie*, subitaneæ, sive spontaneæ, sive artificiales sanguinis serique. *Plethora: Injurie externæ*, contusio, vulnus, spina infixa: *Acria* rosiva, caustica, *extus & intus* applicita: *Sinistra medicatio & suppressio febris intermittens: Obstructiones, Tumores, Spasmi*, inæqualem sanguinis circulum inferentes.

§. 32.

Causa materialis proxima est sanguis arteriosus copiose & impetuose congestus, stagnans in minimis arteriæ extremitatibus, effusus tandem in interstitia & poros affectæ partis veram efficiens stasim; Multo igitur majore copia & celeritate influus atque accumulatus, quam qui, vel ad nutritionem & secretionem expediat, vel revehentibus vasis debite satisque cito possit absorberi.

§. 33.

Stagnationem sanguinis appello, quando is multo lentius ac impeditius per vasa, capillaria maxime, progreditur. *Stasin* vero um penitus subsistit, detinetur, quiescit, sive intra, sive extra vasa.



§. 34.

Causam efficientem proximam modumque sic mihi concipio : *motus* ille vitalis , *circulatio sanguinis vel intenditur* , augetur , vi cordis & arteriarum undecunque aucta movendi sanguinis mole , *orgasmo* , *spasmodicis circa viscera* , aut *majora vasa* , *constrictionibus* , propellitur ita sanguis copiosius atque velocius in partium substantiam , *incalescit ipso hoc motu intensius* , *infracit* , *distendit* , *obstruit* alios atque alios tubulos , è *stagnatione stasin* (§. 33.) *incurrit & corruptionem* , denique *putrescentiam* ; Hinc *tumorem* , *ruborem* , *calorem* , *dolorem* non potest non inferre . Sic in *hydraulicis* vergit *impetus & directio liquidi* , per *consuetos canales recta pergere prohibiti* , in *canales laterales atque tubos apertos* , & eò maxime determinatur , ubi *minimam invenit resistantiam* . Talisque modus est per *σπιν* , s. *expulsionem* , veteribus dictam .

§. 35.

Vel in parte affecta stimulus est , *spina infixæ* , sive *intus sit genita* , in *partem decumbens* , sive *foris illata* , quæ *solutionem continui aut intentat* , aut *efficit* , *extra vasationem sanguinis causat* , *circulationem turbat* , *æquilibrium humorum magis magisque tollit* , *nervos & fluidum animale commovet* , *stimulat* , sicque *motum cordis ac arteriarum provocat auctiorem* . Unde (per *principia hydrostat. & hydraul.*) *æquilibrato fluido sanguineo in tubulis licet inclinatis* , *incurvis* , *inversis* , & *diffuso in canales jam magis expansos & patentiores rubor & tumor circa locum stimuli exoriuntur* , id vero quod jam *extra vasa erupit* , nisi *resorbeatur aut dissipetur* , *suppurationem* , vel *ichorescentiam* , vel *putredinosam incurrit corruptionem* . Veteribus hic modus , *ἐλξις* , *tractio* , dicitur .

§. 36.

Hæ causæ (§. 34. 35.) *persistentes* , vel *sponte* , vel *remediorum usu viam sibi denique faciunt* , ut *orificiis atque canalibus successively magis dilatatis* , *absorbeatur & insensibiliter resolvatur* *congestus sanguis omnis* , vel *saltem mobilior subtiliorque pars* , remanente

nente *fixiore*, terrestri, glutinosa *parte*, sensim *induranda* in scirrhum. Si ingravescant eadem causæ, summum inducunt inflammationis gradum, fibras canalium vehementer distendunt, perumpunt, sanguinem ac lympham stagnantes & effusos deducunt, pro horum indole, vel sulphurea magis atque blanda, vel salina, acriore, corrosiva, mox in *emollitionem apostematicam*, mox in ulcerosam erosionem, mox in corruptionem gangrænosam, mox in depascentiam cancrofam, quin & putredinem sphacelofam.

§. 37.

Febrem in plerisque inflammationibus accendi non miror, cum motus, intestinus & progressivus, atque calor sanguinis adaugeantur, solidorum oscillationes provocentur & stimulentur, secretiones atque excretiones turbentur, atque sic *vel* antecedenter in massa humorum, aut in solidis aliqua niduletur causa, quæ crasin & æquilibrium humorum turbat, solida stimulat, spiritus animales concitat, quæque in partem denique quandam, sive externam, sive internam decumbit: *Vel* ex ipsa parte inflammata portio sanguinis ac lymphæ, fervidioris, acris, putrescentis, in communem sanguinis massam revehatur, mediantibus venis sanguineis atque lymphaticis.

§. 38.

Cur autem *inflammationes* erysipelaceæ, phlegmonodæ, inprimis vero arthriticæ ordinario saltem *occupent extremitates* corporis nostri, sive artus? plures possunt esse rationes. Notum est (per hydrostat. & hydraul.) liquida tanto magis gravitare in fundos vasorum, quo canales sunt longiores & altiores: respectu igitur arteriarum, quæ per artus decurrunt longioribus truncis, major erit pressio partium, quibus inferuntur, respectu verò venarum tanto difficilior per acclivia sanguinis reditus atque adscensus. Variis insuper externis injuriis atque causis exponuntur magis obvii artus, ad inflammationem disponentibus: e. g. labori, plurimum sanguinem arteriosum, invitanti & refrigerio, stasibus faventi. Tum quoque in artibus & peripheria corporis tantum ex arterioso san-

guine non impenditur adsecretiones, ac vel in capite, vel intra corpus, atque sic arteriosus sanguis majori copia virium integrarum ad partes defertur.

§. 39.

Sed & ipsa *inflammatio internarum corporis partium*, viscerum maxime ac tunicarum, est multo *frequentior*, ac vulgo videtur. Nec abs Henr. Scretæ accusatos in his modos & gradus inflammationis adeo exhibendos esse, uti Schelhammero videtur, cum authoribus Historiæ morborum Uratislaviensium judico.

§. 40.

An *natura* alio, quam hæctenus explicito mechanico modo, scil. *per intentionem atque certum sibi propositum finem* moraliter concurrat, atque sic vera proxima sit inflammationum causa, jam non disputo? quamdiu tamen causæ physicæ & mechanicæ suppetunt manifestæ, in his potius acquiescendum, quam ad absconditas, obscuras, difficiles dubiasque confugiendum censeo.

§. 41.

Prognosis inflammationis in genere huc redit: vel *resolvitur*, dissipatur successive: vel *ad suppurationem & abscesum tendit*; vel *exsiccat & indurescit*: vel *putredinose corrumpitur & sphacelatur*. Primus modus est optimus, alter tolerabilis, pejor tertius, pessimus quartus. Quo pars inflammata structuræ magis est membranacæ, vasculosæ, nerveæ, functionis nobilioris, & debilioris: quo juncta febris continua, acuta, gravior: quo partes contiguæ, aut functione correspondentes sunt majoris momenti, eo gravior atque periculosior est inflammatio. Alia paucorum dierum decursu vel resolvitur, vel suppuratur: alia diutius perstat, sæpe etiam evanuisse visa ex improvise recurrit & tunc in pejus ordinario ruit. Foris intro versa, malum, intus foras, bonum. Specialem abscessus, ulceris, gangrænæ, scirrhi, sphaceli &c. prognosin transmittito.

§. 42.

Therapia hæc suppeditat indicationes: 1.) Resolvere, discutere, dissipare Stagnationem atque Stasin. 2.) Congestionem affluxum

fluxum ulteriorem, nimium impedire. 3.) Si resolutio sit irrita, emollitionem, coctionem, maturationem promovere. 4.) Pus coctum tempestive educere. 5.) Abscessum mundificare & tandem consolidare. 6.) Corruptionem putredinosam in gangræna, sphacelo &c. detergere, consumere, tollere & denique cicatricem obducere. 7.) Exsiccationem scirrhosam, si fieri possit resolvere, imminuere, aut intra limites saltem continere. 8.) Symptomatibus urgentibus, dolori, spasmo, vigiliis &c. occurrere.

§. 43.

Amplissima foret omnium harum ac singularum indicationum deductio & excussio, limites propositos transiens, ideoque *ad binas illas primas & primarias (42.) duntaxat attendere animus est.*

§. 44.

Neque circa *modum agendi resolventium* medicamentorum physico-mathematicum desudare volo, quod hac demum septimana in disp. inaugurali Weisiana, de Resolutione massæ sanguineæ p. n. li id jam sit actum. *Resolutio* autem stagnationis atque staseos (§. 33.) sanguinis, *respicit vel* massam sanguineam in genere, Spissiore, minus mobilem: Vel sanguinem in specie, arteriarum ultimis canaliculis impactum, lentius progredientem aut plane subsistentem, (§. 34. 35.) extravasatum, corruptum.

§. 45.

Resolventium internorum & externorum classem nomenque heic subeunt omnia ea, quæ tenuibus, subtilibus; *aqueis* diluentibus; *salinis* incidentibus: *sulphureis* expansivis, actuantibus: *terreis & terreo-alkalinis* absorbentibus, præcipitantibus gaudent particulis. Spectant huc sæc dicta *aperitiva, diaphoretica, diuretica.* In ordine & tempore executionis vero primam hanc indicationem aliquando anteverit secunda (§. 42.) cum scil. plethora, motus congestorii & nobilioris cujusdam internæ partis conditio requirunt promptissimam ulterioris infarctus amolitionem.

§. 46.

§. 46.

Resolventia interna sunt : Herbæ scord. Hyssop. Chærefol. (recentis maxime) meliss. Hed. terr. Veron. Flores bellid. min. Hyperic. Hb. c. fl. arnicæ : Radices ari, V. aperient. Hirundinar. Angelic. Carlin. Pimpinell. min. Scorzon. Qualia in forma apozematis vel decocti possunt propinari. Cortex calcarillæ : Crocus, Camphora, sem. card. bened. & Mariæ, Castoreum, sanguis hirci, mumia, sperma ceti. Salia media, e. g. Nitrum, Tart. Vitriolat. Arcan. dupl. Terr. foliat. tart. Item salia alcalina fixa per incinerationem parata. Spir. & sal volat. C. C. Liquor. C. C. succin. Spir. sal. ammon. mixt. simpl. Lud. &c. Cinnab. antim. & nativ; rectific. Specificuum ceph. mich. Lap. cancror. pp. mater perl. pp. Conch. pp. Antim. diaph, Pulv: pannon. r. Lap. cancr. acido citri. vel aceto destillato saturati.

§. 47.

Resolventia externa : Herbæ Serpill. Origan. Rorismar. Majoran. Hyssop. Rutæ, Salviæ, meliss. absinth. fabin, Flores sambuc. Lavend. Melil. Chamomil. Radix ir-flor. & omnes §. 46. nominatæ. Cortex medianus sambuci, Crocus, Camphora præcipue. Farina avenacea, Furfures, sal culinar. Baccæ junip. Lauri. Myrrha, Olibanum. Applicantur parti inflammatae in *sacculis siccis*, vel *humidis*, & *epithematibus* calidis, in vino simplice, vel aqua calcis vivæ remixto coctis, vel & in *cataplasmatibus*. Spiritus vini camphoratus, spirit. matrical. Sapo venetus. Emplastra, diaphoret. Myns. De ranis c. merc. vig. De sperm. ceti & ranar. De melil. Diachyl. c. gumm. ceratum de gummi ammon. Præcipue si his emplastris remixta sit camphora.

§. 48.

Variis commiscentur & interpolantur hæc *resolventia* medicamentis aliis : mox *tonicis*, leniter *adstrictivis*, mox *emollientibus*, externis : mox *temperantibus refrigerantibus*, internis. Quæ vero potentia sunt calida, extus magis conveniunt, intusve cum grano
salis

salis sunt propinanda. Emplastrorum quoque resolventium, nisi probe camphoratorum, vis directa resolvens tanta non est, quanta emolliens.

§. 49.


Internum camphora usum, in substantia ad unum, vel duo grana in adultis, cum reliquis absorbentibus diaphoreticis fixis & nitrosis singulo octidhorio, per unum alterumque diem, adhibitæ in inflammationibus internis, febribusque inflammatoriis tametsi reformident nonnulli medici, ratio tamen & experientia magni faciendum confirmant, dummodo sub debitis administretur cautelis.

§. 50.

Alteri indicationi (§. 42.) quæ scil. congestionem, adfluxum ulteriorem nimium impedire præcipit, *satisfaciendum est* 1.) *Evitatione* ac remotione *causarum* procatarticarum §. 31. recensitarum, & *substitutione* è contrario *diætæ* ac regiminis appropriati. 2.) *Depletione*, imminutione sanguinis. 3.) *Constrictionum* spasmodicarum, quæ circulum sanguinis impediunt ac inæqualem efficiunt, *relaxatione*. 4.) *Sanguinis* sulphurei, orgastici *contemperatione*, refrenatione. 5.) *Aliarum* à parte inflammata *remotarum*, *vellitione* & eo facta *revulsione*.

§. 51.

Singulas hæc indicationes (§. 50.) data opera prosequar. Quoad primam. *Aer & calor* externus, quantum licet, in justam redigatur temperiem, evitando utrumque extremum, excessus & defectus. *Cibus & potus* tenues, diluentes, temperantes sunt è *spinachia*, *beta*, *lupulo*, *endivia*, *pomis*, *pyris*, *rad. Scorzon*. *Cre-more tenui avenæ*, *hordei*, *chærefolio recenti*, *radicibus seleri*, *Petro-selini*, *ovo sorbili*, *jusculis carnis bubulæ*, *gallarum tenuibus*, *succo citri acidulatis*. *Acidorum* enim *temperatorum virtus* egregia *temperans* non modo est, sed & *resolvens*. *Crassus*, *plenus*, *calidus*, *aromaticus*, *salsus* exulet victus. *Potus* sit *agua pura fon-tana*,



tana, vel cocta cum rad. gramin. scorzon. acetosæ, hordeo crudo, passulis min. Floribus tiliæ, sem. fœnic. Cremor. tart. Flavedine citri recent. Cerevisia tenuis, probe defœcata. Quantitas assumentorum ejusmodi liquidorum multo superet quantitatem solidorum. *Animi corporisque debita tranquillitas* conservetur. *Naturalium excretionum*, transpirationis, urinæ, alvi &c. *progressus* liber procuretur.

§. 52.

Secunda, *depletionis*, *indicatio* vel locum inflammatum respicit ipsum, vel massam humorum in genere. Illa est *derivatoria*, hæc *revulsoria* depletio. Derivantia in parte affecta, vel proxima ejus vicinia applicita sunt scarificationes, hirudinum applicationes, venæ sectio, apophlegmatismi. Revellunt & deplent eadem, adhibita loco, à parte affecta remoto. Sic enim utrinque sanguis, quantitate imminutus, non modo redditur aptior ad motum per vasa & partes progressivum, sed in depletione revulsoria quoque invitatur ad locum revulsionis copiosior, ob lumen, quod in hydraulicis vocant, apertum, & minorem resistantiam ibi procuratam. Per derivationem vero sanguinis & humorum stagnantium portio, canaliculos infarciens atque distendens educta liberiore pariter sanguini reliquo transpressionem & circulum conciliat, atque canaliculis motum tonicum restituit.

§. 53.

Cum vero, per *derivatoriam* hanc *depletionem*, humorum directio & decubitus ad partem affectam aliquammodo invitetur, hanc *precedere debet depletio revulsoria* & sufficienter evacuatoria, *vel* & ipsa *derivatoria depletio repeti aliquoties*, & inflammatio in locum vicinum ignobiliorem invitari. In gravi ophthalmia interna e. g. venæ sectio pedis revulsoria, aut brachii, deinde demum derivatoria venæ jugularis externæ in collo, vel angularis in cantho interno oculi, vel frontalis, imo ophthalmoxylis, (de qua olim Dn. Præses disputationem edidit.) sive scarificationis species in interna palpebrarum tunica instituendæ, recte sibi invicem subordinantur.

Quan-

Quantum vero tunc sanguinis hac operatione repetita fuit subdu-
ctum, tantum quoque decessit congestionibus internis, quantoque
plus posthac ipsæ intumescunt & inflammantur palpebræ, quod
quidem non semper fit, tanto magis liberantur vasa tunicarum oculi
internarum & externarum.

§. 54.

Has tamen *depletiones revulsorias* in principio magis & tem-
pestive, sub ipso congestionum molimine, inque statu plethorico,
vel sanguinis lentore, magis locum habere ratio pariter ac experien-
tia dicitur. Aliàs enim per intempestivas, feras, immodicas venæ-
sectiones vel ichor putredinosus, purulentus corruptæ partis inflam-
matæ in massam sanguineam revocatur & resorbetur copiosius, vel
ipsa quantitas sanguinis nimium exhausta non sufficit amplius supe-
randis obstructionibus & atterendis atque resolvendis stasibus, ipsæ-
que vires improvide conteruntur.

§. 55.

Unde *venæsectionem in acutis*, inflammatoriis, exanthemati-
cis malignisque febribus nonnisi intra primum triduum feliciter ce-
dere cordati testantur medici, nimiam vero & in ἀκμήν usque
morbi protractam, vel repetitam, non inutilem modo, sed & pe-
riculosam atque funestam dolenda ægrorum strages prodit.

§. 56.

Depletioni directæ succenturiatur & hæc *indirecta*, quæ, ap-
plicato semel iterumque *clysmate* emolliente, leniter stimulantem, al-
voque sic aperta liberaque servata procuratur. Quamvis enim la-
xantium, purgantium, proprie sic dictorum, usum in externis ne qui-
dem inflammationibus gravioribus, nisi deterfivum, minimeque sti-
mulantem, multoque minus in casu internæ inflammationis tantum
abest ut approbem, ut persuasissimus sim potius, veteri hac, imo
multis adhuc medicis, exteris maxime, in hunc usque diem fami-
liari methodo plurimos ad orcum ablegari patientes; Tamen alvi
supra memorata emollitio blandissimaque subductio nullum plane
metum

metum inquit, quin potius liberiores massæ sanguinæ circulum atque transitum conciliat per innumera illa intestinorum vasa sanguinea, jam minus pressa distenta impedita.

§. 57.

Tertiam indicationem (§. 49.) scilicet *constrictionum* spasmodicarum, *relaxationem* efficiunt *temperantia, refrenantia, antispasmodica, nervina, anodyna*, lenia, imprimis nitrosa, cinnabarina, castoreata, sal vol: succini, Liq. C. C. succinat. Specif. ceph. mich. Pulv. March. Sem. 4. frig. Semen card. mar. pap. alb. Extracta pœon. Rutæ, Papav. err. Theriaca cœlestis. *Opiatorum* tamen in inflammationibus internis *vel nullus, vel providus* debet *usus* esse. Diæta abstemia, tenuis, & quæ statim subsequuntur reliquæ duæ indicationes (§. 59. 60.) cum hac tertia scite jungi debent.

§. 58.

Conspirare cum tertia hac indicatione videtur illa methodus & stratagema quorundam Practicorum, qui sedatis per *refractum corticis peruviani*, aliis adpropriatis remixti *usum* motibus congestoris atque paroxysmis febrilibus, in ipsis febribus acutis inflammatoriis, motus illos spasmodicos constrictorios (§. 31. 34.) & orgasmum sanguinis (§. 34. 59.) compescunt, atque sic reliquis resolventibus temperantibusque medicamentis, conjungendis & subjungendis majorem parant energiam.

§. 59.

Ad Indicationem quartam (§. 50.) nempe *sanguinis sulphurei, orgastici, expansivi, impetuosi temperationem* pertinent: *Diluentia* (§. 45.) *aquea* copiosa: *Figentia*, acidula, ac acida, refrigerantia. *Potus aqueus* frigidiusculus, aquarum mineralium temperatarum e. g. acidularum Tainacensium; *Emulsiones* è seminibus frigidis, amygd. dulc. Serum lactis, Nitrum crystallinum, tabulatum, Arcan. dupl. Tartar. vitriol. T. sal. essent. acetosel. Succus citri, pulpa mali punic. acidula, Cremor tart. Spir. Salis, Vitrioli, Essent. nitri dulc. Liq. anod. min. H. Sirupi berber. Granat. Corall. Acetos. citri,

citri, Rubi id. Nymphææ. Alcalina terrea. Lap. cancr. pp. mat. perl.
pp. C. C. phil. calc. &c.

§. 60.

Quinta denique indicationi (§. 50.) Nimirum aliarum, à parte inflammata remotarum vellicationi & stimulo efficiendis, & procurandæ hinc revulsioni serviunt: Suppositoria, Rubefacientia, Frictiones & Ligaturæ asperiores, suppedanea & Epicarpia acria, stimulantia, inprimis autem vesicatoria: Ulcerum antiquorum, foniculorum, si fuerint exsiccata, revocationes & recrudescentiæ procuratæ per acria cathæretica, stimulantia: Setacea. Hæc enim omnia partim alliciunt sanguinem, lympham spiritusque ad partem, cui applicantur, & consequenter revocant aliquantum à parte affecta inflammata, ut hæc subinde liberetur, & inflammatio ad locum, artificio hoc paratum ignobiliorem divertat; partim vero magnæ, aliquandiu plorantis feri purisque acris, copiæ, novo hoc emunctorio, paratur exitus.

§. 61.

Neque locus, neque tempus, cujus arctis includor cancellis, permittunt, ut *vesicatoriorum insignem usum*, ab aliis magnæ celebritatis medicis exsibilatum, multis rationibus atque observationibus tuear atque vindicem. Sufficit vel solum experientiæ testimonium, quo convincimur, in variis motibus congestoriis, ad caput, pectus &c. in stricturis spasmodicis dolorificis multifariis, quæ stagnationes atque stases sanguinis habent pedissequas, imo & in inflammationibus internis vesicatoria effectus edere plane egregios, è §. 60. facile explicandos.

§. 62.

Setaceorum pariter, auricularum lobis trajectorum & in manatione purulenta diu servatorum efficaciam in variis oculi & palpebrarum affectibus inflammatoriis, ulcerosis, nubeculis &c. summis effert laudibus Dn. Præses, frequentissima convictus experientia. Utitur Is in hunc finem teneris esulæ radicibus, corticali sua membrana obtectis, recentibus, si haberi possint, vel saltem non plane exsuccis nec fragilibus, illasque lobis auricularum transfixas

quotidie bis, terve, reciproco ita redituque trahi præcipit. Unde lobulorum aliqua consequitur inflammatio, dehinc satis copiosa suppuratio, subinde & abscessus circa aurem externam, magno oculi præsidio ac levamine.

§. 63.

De *rubefacientibus* & attrahentibus illis *suppedaneis* è fermento pistorum, ruta recenti concisa & contusa, rad. raphani rustic. rafa, sem. sinap. & aceto impastatis, plura dicere supersedeo, tanquam in vulgus notis.

§. 64.

Apophlegmatismos §. 52. allegatos, s. medicamenta lympham viscidiorum, salivam tenacem incidentia, eiusque copiosiori famulantia excretioni, in stasi mere sanguinea non æque, ac mixta serosa & in illis quidem casibus potissimum, scopo derivatorio, locum habere, ubi subjectum morbi est in illis partibus capitis internis externisve, quæ glandulis, salivam mucumque fundentibus sunt propiores, quilibet facile perspiciet. Quid vero apophlegmatizantia valeant in coryza, oculorum affectibus, aliisque stasibus leviter inflammatoriis tonsillarum, glandularum submaxillarium, parotidum &c. praxis abunde testatur.

§ 65.

Denique ne videar turpiter oblitus illius inflammationum dissipationis, quæ per, sic dicta obtinentur, *repellentia*, paucis hæc moneo: Primo me jam injecisse mentionem (§. 48.) tonicorum, leniter adstrictivorum, quæ solventibus, usu externo, mox commisceri, mox interpolari possint debeantque, quibus scil. median- tibus & rapidior sanguinis in affectam partem adfluxus reprimatur, & canalium nimis distentorum constrictio, contenti vero stagnantis propulsio procurentur: Secundo minus tutum esse usum repellentium stricte sic dictorum, fortiter adstringentium, frigidorum in vera stasi inflammatoria: Tertio tamen eundem esse tutiorem ac convenientiorem in inflammatione, quæ fit per *ἄστυ* quam quæ per *ἐλάξιν* (§. 34. 35.)

§. 66.

§. 66.

Sic *quanto tutior* est atque *præstantior præservatio repul-*
soria metuendæ ac fientis inflammationis, e. g. in punctione bulbi
 oculi, s. casu facta, s. studio, in operatione cataractæ, hypopii &c.
 aut in spina cuidam parti infixæ; *tanto suspectior* est & periculosior
repulsio criticæ, consuetæ, ab internis ad peripheriam vergentis,
 aut defixæ & penitus formatæ cujuscunque externæ *stasis*
inflammatoria.

TANTUM.



